



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VIII. Non tamen infrequens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

250 BONA VOLUNTAS
ciem cum Stephano Angelicam, imò di-
vinam induere, nec rerum vicissitudinibus
servientem, nec mutationibus obnoxiam,
quia ab immutabili colorem suum trahit,
statumque.

VIII. Speciosa, inquis, ista sunt &
Non tam
men infre-
quens. magnificè dicta: at quis in eâ na-
turæ infirmitate, & rerum affe-
ctuumque assidua vicissitudine, eò veniat
quietis, & æquabilitatis? Venerat Re-
gius Psaltes, cùm de se caneret Psalmo 4.
*Cum invocarem, exaudivit me Deus justitia
mea, in tribulatione dilatasti mihi.* Non
dicit, ut vigilanter advertit Chrysosto-
mus, tribulationem sustulisti: sed in ipsa
tribulatione latum, securum, tranquillum
cor dedisti: cum quidem in modum, ut,
quod de ipso scripsit Hilarius in Psal. 53.
*Proditus oret, periclitans psallat, patiens odia
gratuletur.* Eò venere Apostoli, quos
jam antè Christus præmonuerat, *Videtene
turbemini, nolite terreri, oportet enim haec
fieri:* itaque ibant gaudentes à conspectu
concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomi-
ne IESV consumeliam pati. Venere illuc
Marty-

Martyres, inter minas securi, inter metus
intrepidi, inter tormenta doloresque læti:
de quibus suum istud, in libro de Mortali-
tate, ingeminet Cyprianus, *Quanta sublimi-
tas, inter ruinas generis humani stare erectū!*
Eò venit D. Martinus, qui cùm in latro-
num turmam incidisset, tam illīc quietus
stetit, quam in cœtu monachorum, aut
cuneo prophetarum: quia, ut ipse met ea
de re interrogatus respondit, hoc apud
se firmissimè statuerat, pati quidquid
Deus vellet.

ix. Ad idem fastigium ascenderat, in-
EIAM ter aulæ delicias natus & educatus,
in aulis.

D. Elzarius Arianensis Comes,
qui Neapoli in Provinciam Phocæensem
navigans, periclitante per fædissimam
tempestatem navigio, attonitis & emor-
tuis metu cæteris, solus ipse immobilis
orare perseveravit. Rogatusque ab uxo-
re, postquam venti posuerant, an in eo
terrore homo esse desisset: non equidem,
inquit, sed me voluntati divinæ tradide-
ram, paratus, vicem vectorum omnium,
hauriri fluctibus, si vitæ nostræ domino-

L 6. placuiſ-